

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Elemosina ba
cum fonte primo

Da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas.

Quamuis non habeas nisi quod acceperis,
non potes tamen non habere quod dederis.

Infidelis autem et iniquus est, eciam sibi
qui quod estimat diligendum non uult habere perpetuum.

Leo papa super illud: Date inquit et dabitur.

Da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas.

Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare prouentu.

Substantia tua cum bene erogatur, augetur.

Concupisce iustum misericordiae lucrum,
et aeterni quaestus sectare commercium.

Munerator tuus uult te esse munificum, et qui dat ut habeas,
mandat ut tribuas, dicens: *Date, et dabitur uobis.*

Amplectenda est tibi promissionis istius et gratulanda conditio.

Quamuis enim *non habeas nisi quod acceperis,*

non potes tamen non habere quod dederis.

Qui ergo pecunias amat,

et multiplicare opes suas inmodicis optat augmentis,

hoc potius sanctum fenus exerceat, et hac usurarum arte ditescat,

ut non hominum laborantium captet necessitates,

ne per dolosa beneficia laqueos incidat insolubilium debitorum,

sed illius sit creditor, illius fenerator, qui dicit:

Date, et dabitur uobis, et qua mensura mensi fueritis,

eadem remetietur uobis.

Infidelis autem et iniquus est etiam sibi,

qui quod aestimat diligendum non uult habere perpetuum.

Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, 17.2

(CCSL 138, A. Chavasse ed., pp.69-70, ll.30-47).